



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 45. in ambitiosos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



# PHILIPPICA XLV.

In Ambitiosos.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

*Omnis, qui se exaltat, humiliabitur. Luc. 18. v. 14.*

§. 1.  
Deus ho-  
stis super-  
borum.



Arrat Herodotus lib. 7. Chilonem Philo-  
phum Spartanum rogatum quid totos  
dies ageret Jupiter, respondisse: humi-  
lia exalrat, excelsa humiliat. bene-  
proinde Artabanus Artaxerxi dixit  
teste Herodoto lib. 7. gaudet Deus  
eminentissima quæque deprimere,  
quia neminem nisi seipsum finit  
magnifica de se sentire. verissima  
hæc est veritas, *cujus exemplum ha-  
bemus*, verba Basilij recito de hodi-  
erno Phariseo loquentis, *illius su-  
perbi, qui dum exaltari voluit, hu-  
miliatus ad inferos est. Dominus su-  
perbis resistit, tanquam sua contume-  
lia propulsator* ait S. Ambrosius in  
ps. 118. *Quoddam veluti suscepit ad-  
versus superbiam speciale certamen.*  
*vide monet S. Hieronymus ep. 45.*  
*ad Anton. quale malum sit, quod ad-  
versarium habet Deum.* Adam, teste  
Ephrem horâ nonâ matutinâ for-  
matus, horâ tertiâ pomeridianâ  
paradiso expulsus est, cur tam ci-  
tò? quia maximum admisit pecca-  
tum; *maximum peccatum* ait Am-  
brosius citat. *in homine superbia est,*  
*nam nisi homo serpentis persuasione*  
*deceptus, sicut Deus esse voluisset, nun-  
quam dignitate dejectus fuisset. dejeci-  
sti eos, dum alleuarentur* ps. 71. in  
quæ S. Gregorius 3. moral. 7. *non di-  
xit postquam elevati sunt, quia hoc i-  
psium fit superbis interius dejici, quod*  
*eis à falsa contigit gloria exterius e-*

*levari, contra ambitiosos itaque,*  
absque verborum ambitu dicen-  
tem, submissis auribus & animis  
percipite.

Ambitionem in emblemate  
expressuri veteres viraginem pin-  
xere ad ardua proreptantem juga,  
ubi coronæ, sceptræ, mitræ, & cæ-  
tera honorum insignia visibantur,  
juvencula verò illa lupinam induc-  
batur pellem, & hederâ coronaba-  
tur. cujus imaginis interpretatio-  
nem si quis scire desideret, ajo am-  
bitionem idcirco per virgunculam  
exprimi, quod cum ætate tenera  
hoc nobis concrecat vitium, utin  
gemellis Jacob & Esau de primatu  
ab utero matris concertantibus, in  
Phares & Zaram in Thamaris utero  
competentibus, aliisque apparet.  
Juvencula est ambitio, quia nec in  
vetulis veterascit; juvencula est  
ambitio, quia in sequiori sexu præ-  
dominatur; juvencula est ambi-  
tio quia infantiliter agit & con-  
cupiscit & proreptat. at quo perre-  
pit? per angusta ad augusta, quia ut  
Oleaster in c. 3. Isa. scripsit: *tam cæ-  
ca est dominandi cupido, ut nihil ho-  
mines metuant, nihil vereantur a-  
perta pericula subire, ut presint.* Ar-  
repunt ut honores furrupiant, affri-  
cant se, ut defæviant, nequiter se  
humiliant, ut exaltentur; & sicut Ca-  
melus genua flectit, ut onus susci-  
piat, unde illi lemma: *donec accipiat,*  
itâ ambitiosi submittere capita, genua,  
membra omnia amant, dum  
hæ-

§. 2.  
Ambitia  
emblemate  
tice ex-  
pressa.

honoris onus imponi sibi sentiant.

§. 3.  
Ambitiosus similis lupo.

Matth. 7.  
v. 15.

Joann. 10.  
v. 12.

Verum quid pellis lupina in humeris designat? Leoninas potius exuvias, aut aquilarum alas, aut draconum squamas appingere debuerant. est omnino ambitiosus lupo simillimus, & verus extra fabulas Lycaon, unde & Phariseos ambitione turgidissimos lupis assimilatos legimus: *intus autem sunt lupi rapaces*. luporum proprium est rapere, *lupus rapit*, ait veritas, proprium quoque ambitiosorum est alienos sibi vendicare honores, quæ admodum Lucifer honores creatoris sui, Absalon honores patris sui, Adonias honores Salomonis fratris sui sibi usurpare conatu quamvis irritò attentarunt. Non rapax tantum, sed & ferox lupo est, tunc verò sui impos & rabidus, cum catulos nutrit, eosque ab hostium telis vendicat; quo in genere lupos omnes ambitiosus exuperat, utpote qui in filios suos & hæredes atrocissimè defævit, si ab his vel per suspitionis levissimæ umbram sibi metuat, quemadmodum Herodem Ascalonitem in Aristobulum & Alexandrum, imò & Antipatrum filios suos defævisse, Leovigildum in Hermenegildum primogenitum suum exarsisse, Constantinum quoque in Crispum, Sigismundum vero in Syagrium animadvertisse accepimus. Lupus græcis *obscurus* dicitur, eo quod tenebras amet, & in caligine noctis acutiùs videat, ambitiosus similiter ut D. Bernardus epistol. 136. describit, latebras amat & tenebras, lucis impatiens est, in imo jacet, videri refugit, optato namque necesse est careat, nisi caveat arbitros. simulare pietatem, præferre sanctitatem, fucare scelera, palliare improba desideria fuit eritque semper proprium ambitiosorum. Nec Dioscorus Ecclesiam Alexandrinam, nec Julianus Roma-

num Imperium, nec Pontificiam Cathedram Leo octavus, aliique Antipapæ occupassent, nisi lupinam suam rapacitatem vestimentis ovium, & suas sceleratas similitudines simulationis tenebris involvisset. Ambitio hypocrisicos mater est teste Bernardo citato atque ut S. Thomas cum Salustio scripsit: *ambitio multos mortales falsos fieri* (dicam insuper lupos fieri) *coëgit* at ululabunt ejusmodi lupi infeliciores Lycaone, cum iisdem non ab Apolline, sed à sole Justitiæ in die novissimo larva & pellis intima detrahetur, ululabunt inquam cum in barathrum deturbati, & igni inextinguibili in combustionem dati sentient, quàm verum sit hodiernum effatum: *omnis qui se exaltat, humiliabitur*, excoriabitur, discruciatbitur.

Hederâ porrò coronare ambitionem placuit, quod hederæ instar ad cacumina arborum vel murorum enitatur, ubi verò apicem tenuit, arborem arrefaciât, murumque dissolvat, etsi utriusque ope ad optatam evaserit altitudinem. Non dissimiliter ambitiosus in illorum nunquam non ruinam fertur, quorum subsidio concupitos honores est assecutus, ideo Darius Artaxerxem, Amalafuntha Gothorum Regina Theodorum, Semiramis Ninum, Semiramidem Ninias filius de medio sustulerunt, vel etiam idcirco ambitioni hedera est imposita, ut per hanc ebrietatis notam propriamque Baccho coronam indicaretur, ebriosi esse similes & graviter laborare è capite, qui capitali hoc vitio laborant. *excacatrix cordium ambitio* inquit Divus Bernardus, idem facit in animo, quod in humano corpore ebrietas, caput debilitat, cerebrum gyrat, rationem excæcat, pedes enervat, hinc est, quod stare cum nequeant ambicio-

§. 4.  
Ambitiosus Promotoribus suis noxius, sicut hedera muro.

bitiosi, federe expetant cum Lucifero in lateribus Aquilonis, vel cum filijs Zebedæi ad dexteram & sinistram, quanquam federe diu & quiescere minimè possunt, quia in omne flagitium præcipites sese devolvunt

§. 5.  
Ambitiosus est traditor & crucifixor Christi.  
Luc. 22. v. 24.

Prænuntiata erat duodecim Apostolis proditio eadem adhuc nocte complenda: *unus ex vobis tradet me.* quis tanti author flagitij? quis nefariæ complex rebellionis? quis vel in animum suum hocce nefas inducere potuit? ut rescirent tanti caput flagitij facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Certi erant Apostoli enorme hoc facinus non posse cadere nisi in ambitiosum, ut itaque proditorem deprehenderent, in illum inquirebant, qui crimine ambitus teneretur, qui majoratum affectaret, quis eorum videretur esse major. Sicut enim ex otioso furem in præjudicio Judex interpretatur, ita ex ambitioso facile est proditorem colligere, nihil enim inausum ambitiosos solet relinquere, nec Deus ipse in illius manibus consistere potest securus. an non enim incarnatus Deus primas ab ambitioso Rege passus est insidias, utque vitæ suæ à ferro Herodis esset securus, in Ægyptum Secedere, ibidemque ad ambitiosi usque tyranni interitum debuit commorari? an non potissimas eidem Servatori struxere insidias Pharisei ambitiosi? an non Pilati mentem evertit, & in fatalem adversus Dei filium sententiam cœgit ambitio? cum scilicet vox insolentis populi resonaret: *non es amicus cæsaris.* malitiosè nimis id calumniati sunt, exclamat Divus Cyrillus Alexandrinus, non ignorantes Pilatum etiam invitum citius facturum, ut ipse tutius viveret & præfideret. Sensit nimirum Pilatus cum Julio Cæsare solito dicere: si aliquando violandum jus est, dominan-

Joann. 19. v. 12.

Cyrillus lib. 12. c. 7. in Joann.

di causâ est violandum; si iustitia ex-terminanda, si infernus cœlo commiscendus, si rerum universitas evertenda, dominandi gratiâ exterminetur, commisceatur, evertatur, en quò rationalem creaturam infana ambitio deducat.

Prudenter igitur Apostoli ex crimine ambitus, crimen quoque rebellionis & prodicionis poterat inferre. non mea sed Doctorum augustissimi hæc est oratio ita pronuntiantis ferm. 28. ad fratres in eremo: *videntes discipuli faciem, quam Angeli aspicerè desiderant esse turbatam, dixerunt quis esset ille? querentes quis eorum esset major, quia arbitrati sunt: ille qui major est, ut dominari possit, Magistrum prodere procuraret.* nec tantum prodit, immaniter crucifigit Regem gloriæ ambitio, ut Psaltes affirmavit: *accedet homo ad cor altum* per ambitionem, & *exaltabitur Deus*, crucifigetur Deus, occidetur Deus; per exaltationem enim intelligi crucifixionem ex ipsius veritatis ore didicimus Ioann. 3. v. 12. *exaltari oportet filium hominis: cum exaltaveritis filium hominis, ego si exaltatus fuero.* ob crimen ambitus, quod humillimo hominis filio affixerant judæi, crucifixus est Iesus, imò propter ambitionem nostram exaltatus in cruce Christus est, accedet enim homo ad cor altum, & exaltabitur in patibulo Deus.

S. Augustinus ferm. 18. ad frat. in eremo.

psalm 63. v. 8.

Inter invitatos ad cœnam regalem seu gloriam cœlestem fuit Dominus de novavilla, qui se in hæc verba excusavit: *villam emi & necesse habeo exire.* Necessitatem allegat Villanus iste absentandi se à cœna supernæ gloriæ, quia videlicet ambitiosi salus prorsus desperata est. ait: *necesse habeo* (Hugonis Cardinalis in c. 14. Luc. interpretatio) *ambitione cogente, quæ non potest coram Deo manere, nec in celo habitata.*

§. 6.  
Ambitiosus dæmone peior.

tare. Fatalis quædam necessitas incumbit ambitiosis, ut Deo vocanti resistent, divinas ejusdem leges pessumdent, & in villarum transversum ferantur. homo nascitur ad laborem & avis ad Volatum, inquit viva in Hussæo fimeto Patientia c. 5. v. 5. per hominem intelligitur humilis, per avem ambitiosus, cui innatum est ad alta tendere, & infestas cœli volucres ( ita dæmones Christus ) æmulari; unde & ambitiosi vocantur filij dæmonum, filij ignis in eorum translatione, qui citata Jobi verba sic legunt: *filij dæmonum nati sunt ad volatum*, ut indubiè constet, ambitiosos esse dæmones, *dæmones enim sunt cupidi honoris* ait Abul. q. 3. in c. 8. Matth. quanquam dæmonibus omnibus nequiores esse duos ambitiosos demonstrâro. conveniunt enim inter se pacificè uno sub tecto, non duo tantum, sed duo millia & amplius dæmonum, ut in energumeno illo Luc. 8. v. 30. patet, qui plusquam à sex millibus, legione scilicet integra possessus fuit; at verò duo ambitiosi, una in cathedra, curia, regno, mundo compati se nequaquam poterunt, quin alter continuò alterum exterminet, ut verè ex hoc detur intelligi ( conceptus & verba sunt S. Bernardini Senensis tom. I. serm. 25. ) quòd tales ipsis dæmonibus sint pejores. Quodsi dæmonibus deteriores sunt ambitiosi, digniores pariter erunt præ illis confundi & exinaniri juxtà veritatis Evangelicæ effatum: *omnis qui se exalbat, humiliabitur*; quàm superborum humiliationem ubi tribus symbolis ex cythara Davidica petitis adumbrâro, tribus itidem fabellis, tribus item minimè fabulosis ex sacris profanisque literis exposuero exemplis, evolent, per me licet, quàm altissimè libet ambitiosi, nec tantum mortalibus se

præferant, sed & immortalibus exæquent.

Fumum in primis hymnographus regius ps. 36. v. 20. præponit, in eoque ambitiosos adumbrat: *quemadmodum fumus deficient. fumus ascendendo deficit*, inquit Magnus Gregorius lib. I. Registr. & se dilatando evanescit, aptissimè itaque fumo huic inscripseris: *deficit ascendendo*. symbolum alterum idem Psalter psalm. 126. v. 4. expressit: *sicut sagittæ in manu potentis. ita filij excussorum*, excussi ex electorum numero & velutejecti ex arcu divinæ justitiæ sunt ambitiosi teste rursùm Gregorio lib. 24. moral. c. 28. *evidentissimum reproborum signum superbia*. inscribamus his sagittis: *tendimus in centrum*. in aternæ damnationis centrum, & immortalis infelicitatis punctum rectà cum Lucifero omnis tendit ambitiosus. tertium denique symbolum in campanæ resonantis evanido sonitu insinuavit ps. 9. v. 8. *perit memoria eorum cum sonitu*. meminimus invictum cæsarei exercitus Ducem generalissimum, cum urbè Erfurtensem transiens ingentium campanarum sonitu salutaretur, & quomodo clangor ille placuisset interrogaretur, vernaculâ respondisse: *magni stulti, magnæ nolæ*. grandibus nolis in grandissimæ stultitiæ suæ tesseram ambitiosi se onerant, suamque populari auræ memoriam commendant, sed perit hæc cum sonitu; accinamus hiscè campanis: *ludibrium ventis*. sentient certò cœlo terræque ludibrium sese fuisse, cum à quatuor ventis congregandi, extremas stultitiæ suæ poenas sunt daturi, quas ingeniosis fabulis Divus Cyrillus expressit.

Formica enatis, ut in adultis fieri solet, alis in altum sese levavit & philomelæ prætulit, sed in-

Hh

gru-

§. 7.  
Tria ex  
psalmis  
symbola  
contra Am-  
bitiosos,  
totidémq;  
fabellæ.

gruente pluviâ redire coacta ad spelæolum, unde evolârat, inde à ceteris formicis tanquam otiosa excludebatur, dum fame cogente in incertum vagaretur, philomelæ denique in prædam cessit. Formica ejusmodi Sennacherib fuit, de quo 4. Reg. 18. & 19. ascendit Rex insolens & Angelis (quos non ineptè Philomelas cœlestis paradisi dixero) se non modò æquiparavit, sed & prætulit; verùm ab Angelo exalatus damno suo didicit, quàm *peremptoria* est, ut ait D. Cyprianus, *omnis quæ sita altitudo*. Testudo humi repens Aquilam sublimè volantem supplicibus votis exoravit, tolleretur unâ in altum; sustulit Aquila testudinem, sed ex alto in petram illisit, & superbum elisit spiritum. Talis testudo Simon Magus fuit, in quem falsè D. Ambrosius serm. 66. cum elatus subitò magicis artibus volare cœpisset, Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & victum illum de sublimi aère deposuit, & quodam præcipitio in saxum illidens ejus erura confregit, ut qui paulò antè volare tentaverat, subitò ambulare non posset, & qui pennas assumpserat, amitteret plantas. Hæc Ambrosius. Nimirum *quidquid in altum Fortuna levat* (dicamus potius: *levat Ambitio*) ruitura levat, sempèrque

S. Cypria.  
Serm. de  
jejun.

ut proverbialiter dixit Salomon:  
*ante ruinam exaltatur spiritus.*

Prov. 26.  
v. 18.

Proceræ arbores humilem & nodosam despiciabant arbusculam, at vix satyram suam absolverant, superveniente hero ad ædificium excisæ sunt, nodosâ relictâ, quibus illa lessum accinuit: quàm bene genuit Natura gracilem & nodosam, cum formosis & proceris tanta immineant pericula. Procera arbor Nabuchodonosor fuit, de quo Danielis 4. legere est; somniabat ille arborem tantæ proceritatis, ut vertice nubes contingeret, foliorum ambitu terram latè inumbraret, fructuum ubertate volucres pasceret universas, sed ò brevis nimium gloria! adest subitò de cœlo genius, minacisque vultu ac voce jubet ocys excindi arborem, amputari ramos, dissipari. Simile ambitiosos omnes manet excidium, jam enim securis ad radicem posita est.

Abrumpo dictionem, & Bernardi repeto ironiam: agite ambitiosi, ascendat superbia vestra semper, Regem vestrum Luciferum sequamini, omne sublime videant oculi vestri, ite per me licet, quoniam sic (scilicet) itur ad astra.

S. Bern. r.  
in Declam.

